

raneus recipiatur, foueatur & conseruetur, maritimæ enim terræ omnes pertusæ sunt, magis quàm mediterraneæ aut remotiores à mari. ac plerunque habent laxos & patentés alueos: intra quos etiam si aqua recipiatur, tamen non extingui igné illum necesse est in nostro litore. nam istius bituminis natura est, vt semel accensum, aquæ interuentu magis ardeat: oleo verò, vt quidam putant, restinguatur. Liquefactum igitur bitumen, interno terræ calore, vel sponte per suos alueos in mare fluit & extillat, vel mare lambés secum ex venis terræ effert & educit, vel copiâ succedentis succi protruditur atque egeritur. Interim verò, dum in mari densatur atque coagulatur, frigus exprimit tenues & oleosas partes, quæ in superficie aque instar olei fluentes ad ista littora tranquillo mari non semel visæ sunt: reliqua materia crassior fundum obtinet: non fecus ac fit in destillationi-

h